

Minotauro **Guión dramático**

Los textos de esta dramatización utilizan fragmentos de Ovidio, tomados del libro VIII de sus Metamorfosis y de la epístola X de las Heroidas, y del poema LXIV de Catulo. Han sido adaptados al diálogo y completados por Manuel Yruela.

Escena primera

Coro de las atenienses

Viveret Androgeos utinam, nec facta luisse
impia funeribus, Cecropi terra, tuis.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneae poenas exsolvere caedis
electos iuvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.

Teseo

His angusta malis cum moenia vexarentur,
ipse meum validus pro caris corpus Athenis
proicere optavi potius quam talia Cretam
funera Cecropiae nec funera portarentur.
atque ita nave levi nitens ac lenibus auris
magnanimum ad Minoa veni sedesque superbas.

Coro de las atenienses

Te, maxime Theseu,
mirata est Marathon Cretaei sanguine tauri,
quodque suis securus arat Cromyona colonus,
munus opusque tuum est.

Pro te, fortissime, vota
publica suscipimus, Bacchi tibi sumimus haustus.
consonat adsensu populi precibusque faventum
regia, nec tota tristis locus ullus in urbe est.

Coro de los cretenses

Creverat obprobrium generis, foedumque patebat
matris adulterium monstri novitate biformis;
destinat hunc Minos thalamo removere pudorem
multiplicique domo caecisque includere tectis.
Daedalus ingenio fabrae celeberrimus artis
ponit opus turbatque notas et lumina flexum
ducit in errorem variarum ambage viarum.

Non secus ac liquidus Phrygiis Maeandros in arvis
ludit et ambiguo lapsu refluitque fluitque.

Escena segunda

Teseo

Minoae auxilio dulcis sub semine amoris
Androgeoneam poenas caedemque resolvam,
virgo et cornigeri monstrabit tecta biformis.

Matris plurima adire coactum a sedibus Aethrae,
me tibi fata viis puerum duxere deorum.
Miser post ea Athenis Aegeum longaevum
inveni iuvenesque neci sortique paratos.
Instabilis non terruit at fortuna nec unda,
cor signavit iter commota per aequora ponti.
Nunc quem sanguine dicunt tingi insonti cruentum
non meminissem utinam saevum carosque sodales.
Nunc mihi solus amor, lucent tua lumina sola.

Per ego ipsa pericula iuro,
te fore, dum nostrum vivet uterque, meam.

Ariadna

Heu! cuncto concepi corporeflammam
funditus atque imis exarsi tota medullis.
En quid agis amens, Ariadne, oblita parentes?
Immemor et vultum genitoris filia liqui,
et consanguineae complexum, et denique matris,
quae misera in gnata deperdita laetabatur.
Omnibus ausa tui praferre immitis amorem.

Coro de las cretenses

Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes,
indomito nec dira ferens stipendia tauro
perfidus in Cretam religasset navita funem,
nec malus hic celans dulci crudelia forma
consilia in nostris requiesset sedibus hospes!
En scelerata Aegaea domus Pittheiaque regna,
saevius saeva genus quam belua quod genuistis!

Ariadna

Memora, ne victor tecto moriare recurvo,
quae regerent passus, tibi pro duce fila paravi.
Certa ego te in medio versantem turbine leti
eripiam, et potius germanum amittere cernam,
quam tibi audaci supremo in tempore desim.

Escena tercera

Coro de las cretenses

Ille ope virginea nullis iterata priorum
ianua difficilis filo est inventa relecto,
protinus Aegides rapta Minoide Diam
vela dedit comitemque suam crudelis in illo
litore destituit, desertam et multa querentem.

Nec virgo lacrimas matris moritura videbit
 nec sua qui digitis lumina condat, erit.
spiritus infelix peregrinas ibit in auras
 nec positos artus unguet amica manus.
Ossa superstabunt volucres inhumata marinae;
 haec sunt officiis digna sepulcra suis.

Ariadna

Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina
 spargitur et tectae fronde queruntur aves;
incertum vigilans ac somno languida movi
 Thesea prensuras semisupina manus:
nullus erat. referoque manus iterumque retempto
 perque torum moveo bracchia: nullus erat.
excussere metus somnum; conterrita surgo
 membraque sunt viduo praecipitata toro.
protinus adductis sonuerunt pectora palmis
 utque erat e somno turbida, rupta coma est.
Luna fuit; specto siquid nisi litora cernam;
 quod videant oculi, nil nisi litus habent.
nunc huc, nunc illuc et utroque sine ordine, curro,
 alta puellares tardat harena pedes.
interea toto clamanti litore "Theseu!"
 reddebat nomen concava saxa tuum
et quotiens ego te, totiens locus ipse vocabat;
 ipse locus miserae ferre volebat opem.

Quaenam te genuit sola sub rupe leaena,
quod mare conceptum spumantibus exspuit undis,
quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae vasta Carybdis,
talia qui reddit pro dulci praemia vita?